



ex animi sententia. Nimirum, ut antehac exhaustum recipiens applicueramus summitati Tubi simplicis A F, & aperto epistomii inferi aquis submerso, orificio, has ad D & E attolli ab aëre externo videramus; ita hac vice vas idem, post haustus antliæ quasit recentos, admovimus summitati siphonis reflexi modò descripti ope recurvæ cujusdam ex cupro fistulæ, & postquam omnes commissuras sollicitè resinosâ cerâ munieramus, recluso recipientis epistomio K, aquam ex inferis vasibus per utrumque siphonis crus attolli spectavimus externi aëris pressione, ita quidein, ut à summitate Tubi sive à flexura siphonis non multum abeffet, in recipientis exhaustum se penitus receptura procul dubio, nisi multus aër ex utroque siphonis cruce eo compulsus expansivâ suâ virtute spatia priùs evacuata maximam partem iterum replevisset.

IV. Tertium verò conamen multiplices nobis iterum labores ac nova tædia causabatur, dum siphonem reflectum ante a descriptum ab H ad A usq; per 12. porrò pedes & amplius in sublimè exporrigebamus, impossibilitatem scilicet aquæ per altitudinem 30. pedibus majorem ope siphonis transfundendæ ad oculum demonstraturi. Etenim, tametsi commissuras tuborum vitreorum omnes omni curâ sic communiveramus, ut repletum desuper per A utrumque crus nihil aquarum ullibi emitteret, salvaque jam videbentur omnia nullo quoque subrepentis externi aëris ullibi comparente indicio, quamdiu supernum flexuræ orifi-